



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

II. An distinguantur intentio & electio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

habet totam rationem intrinsecam, quam haberet volitio eiusdem medij etiam si non esset vnicum, quia volitio medij vnicui tendit in idem obiectum materiale, & formale, in quod tenderet, si tale medium vnicum non esset, quod si non illam precedat consilium, quo media conferuntur, præcedit tamen cognitio practica, quæ iudicatur, medium illud esse vtile, & prudenter applicari ad finem obtinendum, & similiter præcedit consilium, non de prælatione mediorum, quæ non apparent, sed an sint alia media, vel non, ad finem obtinendum, an illud medium, quod vnicum apparet, & habet veram, vel apparentem tantum utilitatem ad finem obtinendum, & ex vi cognitionis, quæ cognoscitur, habere veram utilitatem, secedit ab aliis rebus, quæ vtilia non apparent, & his, quæ vtilia apparent, & non sunt.

IO Obiectum electionis debet esse aliquid, quod à nobis fieri potest: conspirant in hanc conclusionem omnes, qui de hac re agunt. Ratio est manifesta: ex intentione mouemur efficaciter ad media ponenda, & ad aliquid operandum, vt finis obtineatur: ergo debent talia media posse à nobis poni, & tales operationes esse in nostra potestate, alias voluntas non ad illas efficaciter mouetur, nequit enim voluntas efficaciter ferri in obiectum, quod non illi repræsentetur, vt possibile. Quod si aliquando eligamus illa, quæ non facimus, vt cibos, ligna, ignem, &c. illa eligimus eo modo, quo sub nostram cadunt potestatem, quatenus nobis coniuncta, vel passo applicata, conjunctione, & applicatione, quæ possunt exhiberi à nobis, sic eligimus sumptionem cibi, quem non facimus, quatenus illa potest fieri à nobis, & applicationem ignis, quem non producimus, quatenus ille potest à nobis cuiusque passo applicari.

II Ex his inferes cum communi Doctorum sententia, electionem esse actum voluntatis connotantem, vel supponentem actum intellectus: ita D. Thom. quæst. 22. de veritate artic. 15. vbi dixit, electionem dependere à ratione, tanquam à forma non simpliciter, vt existat, sed vt sit prudens, vel imprudens, quod eodem docuit Aristoteles 6. ethic. cap. 5. vbi dixit: *Quapropter electio, vel est intellectus appetitus, vel appetitus intellectus.* Et in hunc sensum explicandus est, D. Thomas 1. 2. quæst. 13. art. 1. vbi dixit, electionem materialiter esse in voluntate, & formaliter in intellectu. Hæc omnia clare docuit Aristoteles 3. ethic. cap. 3. vbi dixit: *Quid, aut quale quid est electio, cum nihil sit eorum, quæ diximus, videtur itaque sponte quidem à nobis fieri, atamen non omne, quod sponte agimus, est eligibile, sed ad cuius consultationem antecesserit, electio namque cum ratione est, atque mente.* Et cap. 3. eiusdem libri subdit: *& ipsa electio deliberatiua operatio rerum erit earum, quæ in nostra sunt potestate.*

PUNCTUM II.

An distinguuntur intentio & electio.

§. I.

Proponuntur aliorum sententia.

I Explicui obiectum intentionis, & electionis, est modo explicandum, an voluntas eodem actu feratur in vtrumque, an verò prius feratur in obiectum intentionis volitione quadam, quæ voluntatem determinet ad aliam, quæ attingat obiectum electionis, ita vt hæc obiecta diuersis tangantur actibus: quam questionem sub alio titulo, videlicet an voluntas eodem actu feratur in finem, & in media propter finem, exagitant interpretes Diui Thomæ prima secundæ, questione 8. art. 3. & sub terminis à nobis propositam quæst. 12. art. 4. P. Vasquez 1. 2. disp. 33. cap. 2. docet, diuersum esse actum, quo voluntas fertur in finem ab actu, quo amat media propter finem, ac proinde esse diuersam intentionem ab electione. Refert pro hac sententia Gregorium in 1. distinct. 1. quæst. 1. art. 2. Marfil. 1. quæst. 4. artic. 1. dub. 2. P. Vasquium sequitur P. Gaspar Hurtad. 1. 2. lib. de actibus voluntatis disp. 3. diff. 4. qui ex eodem Vasquio docet, voluntatem finis indirectè, & quasi in obliquo, amare media, non verò directè, & expressè, & voluntatem medij similiter indirectè in obliquo

tantum finem attingere, eandem sententiam tandem tradidit Salas, qui postquam variè de hac scripserat 1. 2. tit. 5. disp. 1. sect. 6. n. 64. dicit, probabilius existimare volitionem finis effectiue concurrere ad electionem medij, ac proinde distinguere intentionem ab electione, & diuerso actu amari finem propter se, & media propter finem. Pro eadem sententia refero P. Iacobum Ruizium tom. de Prouident. lib. 3. disp. 36. sect. 5. n. 12. vbi ait, intentionem sine dubio concurrere efficienter ad electionem mediorum; tandem eidem sententiæ tribuo Auctores, quos pro illa refert idem Ruizius ibidem, plures enim illorum tantum asserunt, intentionem mouere ad electionem, vt constat ex verbis, quæ ex S. Thoma refert Ruizius, quod absque vllò influxu physico intentionis in electionem fieri potest, & adhuc hoc influxu physico admissio, in sententiam oppositam explicari possent illius assertores, vt dicam postea.

Voluntatem aliquando eodem actu amare expressè, & formaliter, finem & media propter finem docet Azor lib. 1. c. 25. q. 7. Salas supra n. 64. & alij innumeri apud ipsum n. 60. Eandem sententiam defendit P. Soar. 1. 2. lib. 1. disp. 8. sect. 6. cuius sententiam ex professo referam, plura enim in illa inuenio, quæ non leuem difficultatem audienti inferent. Docet n. 2. electionem semper habere idem motum cum intentione, & semper ipsa electione esse finem aliquo modo volitum, quamuis aliquando tantum virtualiter, & concedit n. 4. hoc fieri posse sine cognitione actuali finis, asseritque infirmum nihil cogitantem de sanitate, sumere potionem, quam non vult propter ipsam. Addit n. 5. per electionem posse amari finem expressè & formaliter, non vt obiectum, quod, sed vt quo. Et postea cum sibi obieciisset, non posse obiectum amari vt quo, quin amaretur vt quod: Respondet, finem amari vt quo, tantum esse, amari media virtute actuum precedentium circa finem, & sufficere, vt voluntas feratur in medium, vt ordinatur ad finem virtute actus respicientis finem, vt finis dicatur amari vt quo: sicut actu fidei quis credit obiectum reuelatum propter summam veritatem reuelantem, quamuis actu non credat, Deum esse summam veritatem reuelantem. Tandem concludit intentionem, & electionem aliquando realiter distinguere, tunc tamen electionem vni intentioni tanquam partem parti, ex quibus totum quoddam heterogeneum resultat, compositum ex intentione, & electione.

§. II.

Nonnulla præmittuntur ad propriam sententiam præcipue contra P. Suarium.

P Ro decisione questionis statuo, posse rationem aliquam esse obiectum vt quo amoris, vel odij, & non amari, vel odio haberi vt quod, sed tantum vt quo, v. g. esse rationem formalem, & motiuum, vt alia obiecta amentur, vel odio habeantur, ipsa tamen, neque amari, neque odio haberi, huius rei exempla passim suppetunt: vult Deus conferre malum aliquod poenæ propter peccatum commissum, malum illud est obiectum vt quod amatum: peccatum autem est obiectum, quo Deus mouetur ad tale malum inferendum, & obiectum vt quo amoris, seu prosecutionis erga poenam, non tamen peccatum illud est obiectum vt quod amoris, seu prosecutionis respectu voluntatis diuinæ. Deus displicet de obiecto peccaminoso v. g. de comestione carnis mala moraliter, obiectum vt quo huius displicentia est malitia, qua talis comestio constituitur moraliter mala, & in multorum opinione malitia conflatur ex ipsa actione, & libertate tenente se ex parte actus primi, & ex aliis circumstantiis, quæ Deus non odio habet, & in quibus non displicet.

Statuo secundò contra P. Soar. rationem aliquam esse obiectum quo respectu actus, seu actum respicere tanquam obiectum quo rationem aliquam, non esse fieri virtute aliorum actuum, illam respicientem, sed immediatè, & intrinsecè illam tangere, tanquam rationem formalem tenentem se ex parte obiecti respectu actus, quo amatur vt quo. Ratio est facilis: obiectum vt quo est id, quo voluntas mouetur ad obiectum vt quod, & ratio formalis sub qua voluntas tangit obiectum quod: ergo se debet tenere ex parte obiecti talis actus: ergo vt sit obiectum vt quo huius actus, non sufficit terminare alium actum à quo ille procedat, quia quilibet actus voluntatis proprium habet motiuum sub quo tangit obiectum materiale, & ex eo ratio aliqua est motiuum quo actus, quia ipso tangitur, non verò quia tangatur

tangatur alio actu, qui sit causa illius, vt patet in actu imperante, & imperato, imperatus enim ab imperante procedit, non tamen ideo actu imperatus respicit morium imperantis, neque *vt quod*, neque *vt quo*, actus enim amoris imperatus ab actu poenitentiae, tantum respicit morium amoris non verò, motium poenitentiae.

Statuo tertio contra eundem Soarium, non posse esse obiectum amarum *vi quo*. quin actualiter cognoscatur sub illa ratione, sub qua mouet. Hanc conclusionem existimo esse certissimam, quia obiectum *vi quo* est ratio formalis-que mouet, & formaliter terminat actum voluntatis, vt supra dixi; ergo debet esse cognita, quia non potest mouere ad amorem, neque trahere voluntatem, ratio illa, quæ non cognoscitur, neque possum ego amare obiectum propter bonitatem quam in illo non apprehendo, vt perspicuum est, aliàs omnia obiecta æquè mouerent voluntatem, quia si possent amari, vel odio haberi propter bonitatem, & malitiam, quæ in illis non cognoscuntur, quodlibet obiectum posset amari, vel odio haberi propter quamlibet bonitatem, vel malitiam.

¶ Eandem conclusionem tenerem etiam si sentirem Suariorum affertur, obiectum *quo* dici respectu huius actus, ex eo quod actus procedat ab alio tale obiectum respiciente, in cuius sententia meam conclusionem necessariò tenendam esse, sic probò. Vt ratio finis obiectum *ut* quo electionis, debet procedere electio ab intentione respiciente finem, sed ut intentio respiciat finem, requiritur cognitio illius: ergo ut sit obiectum *quo* electionis, requiritur talis cognitio. Dices ex Suario, requiri cognitionem finis tempore præexistente ad electionem, non tamen coexistentem electioni. Contrà: in instanti temporis, in quo electio procedit ab intentione, debet existere intentio simul cum electione, quia nulla causa potest non coexistere effectui tempore, quo influit in illum: sed in instanti, in quo est intentio, necessariò est cognitio finis: ergo in instanti, in quo electio procedit ab intentione, debet esse cognitio eiusdem finis: ergo finis nullo modo potest esse motium *ut* quo electionis, nisi tunc temporis proponatur voluntati, vel tanquam motium formale terminans electionem, seu actum respectu cuius dicitur obiectum *quo* in mea sententia, vel tanquam obiectum actus influentis in illum, respectu cuius dicitur obiectum *quo* in sententia Patris Suarii. Ex his inferes, verum non esse quod docuit Suar. infirmum non cogitantem de sanitate, potionem fumere, non propter ipsam, sed propter sanitatem, de qua nihil cogitat. Exemplum, quod adducit de credente obiectum reuelatum propter primam veritatem reuelantem, eandem difficultatem habet, & eodem modo negandum est.

7. Statuo quartò, electionem distinctam ab intentione, non esse viuentium integraliter actui intentionis; sed fore actum adequatè distinctum ab intentione. Hæc conclusio est contra Sorium suprà, & contra plures alios, qui eam docent apud Salas suprà. Ratio est, quia intentio electio, etiamsi idem obiectum formale respiciat, inter se sunt valde dissimiles, & illud diuerso modo respiciunt; intentio enim tantum expresse & formaliter respicit ipsum finem; electio verò non tantum respicit finem; sed media propter finem. Deinde nullum est caput, ex quo requiratur hæc vniò inter intentionem, & electionem, præcipuè cum constet de intentione subsistere posse sine electione; ergo absque fundamento talis vniò inter electionem, & intentionem configitur. Verge: Controu. de anima, Punct. 7. dixi, partes animæ diuisibiles non esse inter se heterogeneas, quia si aded essent diuersæ, vt vna pars principium esset nutritionis, & ratiocinationis, & alia nutritionis tantum, non possent integraliter vniui; ergo eadem ratione intentio, & electio ob notabilem differentiam, quam in se habent, integraliter vniui non poterunt. Dices, illam esse differentiam notabilem inter partes animæ, non verò ipsam inter intentionem, & electionem; Quæ sit notabilis differentia, vel non, arbitrio prudentis tax. da est non alia fixa certaque regula, quapropter non possum ratione metaphysica solutionem repellere, illam tamen reiciò à paritate aliarum entitatum. Species impressa directæ alicuius obiecti, in communi sententia, non vniunt cum reflexa eiusdem ob-

differentiam, quam in se habent, & sic similiter alia
plura accidentia: ergo cum maior sit differentia, quæ in-
tercedit inter electionem, & intentionem, sufficiens
erit, vt hi duo actus inter se non vniantur.

§. III.

Propria sententia explicatur.

Dico primò : Voluntas sæpè efficaciter intendit & nem actû, qui non expresse, & formaliter media respicit; neque rationem habet electionis, sed tantum intentionis. Ab hac conclusione dissentit nullus, & est expressa Diui Thomæ, vt postea ostendam, illamque facîle probo. Sæpè quis sibi statuit, rem aliquam obtinendam, firmitèrque apud se deernit, illam consequi, quin illi appareant media, quibus talem rem adepturus, neque expresse de illis cogit: ergo tunc talis voluntas rationem habet intentionis, & non triplicis electionis naturam, quæ essentialiter est volitio expressæ mediæ.

Primo obiectum: Omnis electio formalis essentialiter attingit motium intentionis, & finem respicit, saltem motium, quo tendit in media. Hanc conclusionem tenent fere omnes Thomistæ; Soar. loco citato, Salsuppi, & expresse traditur à D. Thoma cum conclusione precedenti, 1. quæst. 8. art. 4. in corpore ubi hæc habet: *Respondetur dicendum, quod cum finis sit secundum se voluntas, autem quod est ad finem in quantum buiusmodi non sit voluntas, nisi propriæ finem, in quantum buiusmodi sine hoc quod feratur in ea, que sunt ad finem.* In primam conclusionem à nobis traditam subdit immediate secundam Angelicus Doctor: *Sed in eas, que sunt ad finem, in quantum buiusmodi non potest ferri, nisi feratur res ipsam finem.* idem clarissime docet quæst. 11. art. 4. cuius pulchra verba etsi non brevia, præter morem refero, tum quia elegantissima, tum quia clarissima, & expressissima, ad duplicem conclusionem propostam propriis terminis tradendam: sic D. Thomas: *Respondetur, dicendum, quod motus voluntatis in finem & in id quod est ad finem, potest considerari dupliciter: vno modo secundum quod voluntas in utrumque feratur absolute & secundum se: sic finis simpliciter duo motus voluntatis in utrumque. Alio modo potest considerari secundum quod voluntas feratur in id quod est ad finem: cum dico, volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi unum motum voluntatis: cuius ratio est, quia finis est ratio volendi ea, que sunt ad finem, idem autem alium ceit super obiectum, & super rationem obiecti, sicut eadem ratio est coloris, & luminis. Quod si ex mente D. Thomæ voluntas non potest ferri in ea, que sunt ad finem, ut ipse verbis relatis expresse testatur quin feratur in finem, finis saltem erit motuum *ut quo*, & amatus *ut quo* amore mediorum. Secundo probatur conclusio. Tota essentia, & ratio constitutiva electionis, per quam distinguitur à ratione formali electionis in eo sita est, quod electio non respicit medium, quod proprium illius est obiectum propter ipsum, sed propter aliquid, videlicet propter finem: ergo de ratione electionis est attingere finem, tanquam id propter quod medium attingit, & tanquam motium amoris mediorum, ex ipsis enim terminis implicationem videtur inuoluere, hanc volitionem tendere in hoc propter illud, quin ipsa volitio attingat hoc, & illud. Confirmatur, si electio formaliter, & intrinsecè finem non respiceret, medium esset id, quod vltimè ab illa respiceretur, & ratio formalis motus tenens se ex parte obiecti, propter quam ipsum medium amaretur, finis enim non respectus ab electione, non posset esse ratio motui illius, tenens se ex parte obiecti, ergo medium haberet rationem finis vltimi, & esset propter se amatum: ergo volitio medij non haberet rationem conclusionis, sed intentionis: ergo non daretur formalis electio respectu finis.*

Probatur fecundo eadem conclusio : Si volitio medijs
non respiciet rationem formalem finis , actus quo quis
vult diuinis officiis interesse propter videndam puellam
quam iupiter amat, nullam habebit deonestatem ob-
iectiuam , imò potius ratione obiecti erit hone-
stus , & dignus premio : consequens nullus Theo-
logus audebit admittere : ergo antecedens est fal-
sum , si firma sit consequentia , quam hic stabili-
o
Hic actus respicit hoc , quod est interesse diuinis officiis

officiis tanquam medium ad turpem visionem: hoc quod est adesse diuinis officiis secundum se, secluso fine, est honestum, & laude dignum: ergo si non respicit hic actus finem tenentem se ex parte obiecti, hic actus ex obiecto nullam poterit de honestatem habere siquidem tantum respicit obiectum honestum, & laude dignum.

11 Respondebis, hunc actum habere de honestatem, non ex fine, quem formaliter respiciat, tanquam proprium illius obiectum, sed ex intentione finis, à qua procedit, quia electio etiam non intrinsecè respiciat finem, ut obiectum, procedit tamen ab intentione illius efficienter, vera efficientia physica, vel saltem morali, qua electio determinatur ab intentione, ratione cuius influxus & efficientia trahit de honestatem, & malitiam ab intentione, & consequenter à fine, qui est intentionis obiectum. Contrà: ergo talis electio propter finem turpem nullam malitiam, neque de honestatem habebit ab obiecto, sed tantum à principio: ergo ratione obiecti potius est honesta, & laude digna, quam turpis & inhonesta. Probo consequentiam: actus charitatis vel religionis respiciens proprium motuum honestum, quantumvis imperetur actu reflexo respiciente motuum inhonestum; v. g. actus quo quis vellet elicere charitatem erga Deum propter vanitatem, semper retinet suam honestatem obiectuam intrinsecam actui, & dicimus talem actum intrinsecè esse honestum: ergo si actus, quo quis vult adesse diuinis officiis propter finem turpem, non respicit finem turpem tanquam motuum tenens se ex parte obiecti, talis actus habebit honestatem obiectuam, ex eo enim illam retinet actu imperato respiciens motuum honestum, etiam si procedat ab imperante respiciente motuum turpe, quia motuum imperantis non refunditur in imperatum: ergo si motuum intentionis non refunditur in electionem, electio respiciens medium honestum, suam honestatem intrinsecam retinebit, etiam si procedat ab intentione respiciente turpe motuum.

12 Probatur tertio eadem conclusio: Si electio non respicit motuum finem, non potest habere rationem propriam electionis, neque media possunt dici amari propter finem; ergo electio essentialiter respicit motuum intentionis. Antecedens probatur: Influxus actus intentionis in electionem, etiam si detur, non sufficit, ut obiectum electionis sit amatum propter finem: ergo ut medium ametur propter finem, illius volitio debet respicere, tanquam rationem obiectuam, finem propter quem amatur. Patet antecedens in actibus imperatis respectu imperantium, quamvis enim actus charitatis imperet actum misericordie, & in illum influat actus vera efficientia actiua, ut multi volunt, seu efficientia morali determinante voluntatem ad elicientiam actus, nihilominus actus misericordie respicit suum obiectum propter ipsum, neque dicimus misericordie actum velle suum obiectum propter motuum charitatis: ergo ut hoc obiectum ametur propter illud, non sufficit, ut actus respiciens hoc obiectum producat ab actu respiciente illud, sed necessarium est, ut actus respiciens hoc obiectum tangat illud propter quod dicitur hoc amare. Si dicas cum P. Vasquez, electionem respicere finem indirectè, & in obliquo, & hac ratione posse velle media propter finem: Obiciam, in opinione P. Vasquez, sicut electio attingit in obliquo obiectum intentionis, ita intentio attingit in obliquo obiectum electionis: ergo ex hoc capite, si hac obliqua magis non explicetur, non magis electio tendit in medium propter finem, quam intentio in finem propter media.

13 Dico tertio: Potest voluntas eodem actu velle formaliter, & expressè media propter finem, & finem ipsum non tantum ut obiectum amatum *ut quo*, sed *ut quod* amatum, ita ut talis actus habeat rationem propriam intentionis, & electionis identificatam, & dicatur electio, quatenus respicit media propter finem, & intentio quatenus respicit finem propter se ipsum. Hanc conclusionem docet Soar. loco citato. Antonius Perez sect. i. examinis, part. 3. c. 3. & 6. Salas suprà n. 60. & innumeris apud ipsum; inter quos Thomistæ, Caiet. Contr. Medina, & alij illam defendunt, ut traditam à D. Thoma, verbis pro conclusione præcedente à me relatis, quibus illam expressè tradidisse puto, quia tamen posset aliquis S. Thomam interpretari de fine amato *ut quo* voluntate mediorum, quod non tantum interdimus conclusione præcedenti, alia verba ex eodem articulo de summa, quibus constat, non tantum loqui de fine amato, *ut quo*, sed etiam *ut quod*, qui dicitur electione ipsa voli-

tus, & amatus, & non tantum ratio volendi, & amandi. Sic obiecerat in 2. Angelicus Doctor: Eodem actu videtur lumen, & color, ergo idem est motus voluntatis, quo voluntas fertur in finem, & in ea que sunt ad finem. Respondet postea: Ad secundum dicendum quod quodcumque videtur color, eodem actu videtur lumen, potest tamen videri lumen, sine hoc quod videatur color, & similiter quodcumque quis vult ea, que sunt ad finem, vult eodem actu finem, non tamen e converso. Quibus verbis comparat B. Thomas visionem coloris, quæ nūquam contingit sine visione luminis, ad voluntatem mediorum, quæ semper est voluntas finis, & visio lucis, quæ sæpè non est visio coloris, ad voluntatē finis, quæ non semper est voluntas mediorum, sed si lumen, & color videantur eodem actu, lumen non tantum videtur *ut quo* sed *ut quod*, & est obiectum, quod denominatur visum: ergo quando medium, & finis amantur eodem actu, finis non tantum amatur *ut quo* sed *ut quod* est obiectum, quod denominatur volitum, & amatum. Idem clarissimè docet quæst. 12. art. 4. loco supra adducto.

14 Ratione conclusionem sic probo. Eodem individuali actu voluntas diuerso modo respicit finem *cuius*, & finem *cui*, & eodem individuali actu amat voluntas Deum propter se, & proximum propter Deum amatum: ergo eodem individuali actu potest amare diuerso modo finem, & media finem propter se, & media propter finem. Confirmatur: bonitas quæ mouet ad amorē mediorum, non est bonitas intentionis, sed bonitas finis, qui est obiectum intentionis: ergo possunt amari media propter bonitatem finis, quin supponatur ad amorē illorum intentio finis iam amata per alium actum dummodo ametur per ipsam volitionem mediorum, & poterit mediorum amor dependere à fine, & non ab amore finis, cum sit idem cum amore mediorum.

15 Dico quarto. Si voluntati simul proponantur finis, & media conducentia ad talem finem secundum totam conuenientiam absolutam, quam habet quodlibet medium in ordine ad finem obrinendum, & secundum respectuam, quam habet vnum præ alio, ita ut nullum aliud consilium expectet ad eligendum potius hoc medium, quam illud eodem actu feretur in finem, & in media, quibus talem finem obrinere placet. Pro hac conclusione refero omnes Auctores adductos pro præcedenti, afferentes aliquando eodem actu amari finem, & media propter finem, quam sic probo. Voluntatis potest eodem actu amare finem & media propter finem, & aliàs non potest amare efficaciter finem, quin amet media, neque ferri in media quin feratur in finem, saltem ex vi alijs actus: ergo si illi sint sufficienter applicata, eodem actu omnia illa prosequetur, ad quid enim dandi sunt actus diuersi respectu obiectorum, quæ possunt eodem tangi, & quorum vnus amor connexus est cum amore alterius? Confirmatur: volitio medij necessario debet attingere finem, saltem ut motuum *quo*, ut iam probati, & si illum non attingat ut obiectum *quod*, debet dari alius actus distinctus, qui finem tangat ut obiectum *quod*, deinde non facile intelligitur, ut postea dicam, quomodo finis possit esse obiectum *ut quo* & non *ut quod*: ergo melius dicitur eodem actu, quo amantur media amari finem *ut quo*, & *ut quod* sine multiplicatione actuum, cum nullum sit fundamentum ad talem multiplicationem adstruendam.

16 Obiicies primo: Assensus præmissarum semper præcedit assensum conclusionis, ergo amor finis semper præcedit amorē mediorum. Respondeo, non sine aliquo fundamento posse negari antecedens, quia S. Thomas q. 12. art. 4. citato, postquam relatis verbis dixerat, eodem actu amari finem, & media propter finem, asserit eodem modo dicendum esse de intellectu respectu assensus præmissarum & conclusionis, verba Doctoris Angelici sic se habent, *Et est simile de intellectu, quia si absolute principium, & conclusionem consideret, diuersa est consideratio vtriusque, in hoc autem, quod conclusioni propter principia assensit, est vnus actus intellectus tantum.* Dato tamen antecedenti, nego consequentiam, est enim diuersa ratio, quia in discursu cognitio antecedentis ducit in cognitionem consequentis, & discursus essentialiter est illatio vnus ex alio, & eadem cognitio non potest ducere in se ipsam, neque inferri ex ipsa illatio enim, & deductio in cognitionem ex cognitione, essentialiter dicit distinctionem inter ipsas cognitiones. Intentio verb & electio neque dicit ductionem vnus in aliud, neque illationem vnus ex alio, tantum enim dicit electio esse amorē mediorum propter finem, & dependere ab ipso

ipso fine tanquam ab obiecto formali, propter quod media amantur, quod fieri potest, etiam si mediiorum amor non dependeat ab amore finis. Adde, assensum præmissarum esse propositionem obiecti formalis, in quod fertur assensus conclusionis, intentio verò non est propositio obiecti formalis electionis, quod non per intentionem, sed per cognitionem sui supponitur, ut voluntas media propter illud amplectatur.

17 Obiic. secundò. Intentio non supponit consilium, sed electio illud supponit: ergo distinguitur intentio & electio. Respondeo, distinguendo maiorem: Intentio identificata cum electione non supponit consilium, nego maiorem: intentio non identificata cum electione, concedo maiorem: sed electio supponit consilium, concedo maiorem: ergo intentio distinguitur ab electione, distinguo consequens; Intentio quæ non supponit consilium concedo consequentiam: intentio, quæ illud supponit, nego consequentiam.

18 Obiic. tertio, Amor mediiorum est propter amorem finis: ergo amor mediiorum distinguitur ab amore finis. Respondeo, negando antecedens, quia amor finis non est propter amorem finis, sed propter ipsum finem; finis enim definitur, cuius gratia cetera fiunt, hoc est, propter quem cetera amantur. Instabis, finis non mouet ad electionem mediiorum secundum se, præcisè quatenus bonus est, sed quatenus amatus: ergo ad hoc ut moueat ad amorem mediiorum, debet supponi amatus: ergo amor finis debet supponi ad amorē mediiorum, ergo amor mediiorum & amor finis necessarîo distinguuntur. Resp. finem non moueri ad amorem mediiorum, quin moueat ad amorem sui, quia potest non amari, id propter quod amantur alia, ac proinde quotiescumque media amantur propter finem, finis debet amari, vel amore, qui supponatur ad amorem mediiorum, vel ipso amore mediiorum; & in hoc sensu potest dici, finem ut amatum, moueri ad amorem mediiorum, non verò propriè & strictè, quia amor finis non semper præsupponitur ad amorem mediiorum, sed aliquando idem est amor mediiorum, & finis.

19 Obiic. quarto: Sæpè intentio est amor, & prosequutio sui obiecti, & electio est odium, & fuga proprii obiecti; & e contra, intentio est fuga, detestatio, & odium obiecti & electio prosequutio, & amor medijs: sæpè enim quis ex intentione boni obtinendi detestatur, & odio habet id, quod potest boni consequutionem retardare, & ex detestatione, fugas, & odio mali imminetis, voluntas amat tanquam medium, id quod potest auertere tale malum: sed idem actus non potest esse amor, & prosequutio, simulque fuga, & odium: ergo idem actus non potest habere rationem electionis, & intentionis. Respondeo cum Soar supra, Salas num. 69. eundem actum posse esse volitionem & nolitionem respectu diuersi obiecti; quod docet Vasq. disp. 35. cap. 4. n. 25. ex Caietan. 1. 2. q. 8. artic. 3. Capreol. in 1. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 4. asserentibus, eundem actum posse esse odium, & amorem, quia detestatio peccati ex complacentia Dei est odium respectu peccati, & amor respectu Dei.

20 Dico quintò: Postquam voluntas habuit efficacem intentionem finis, non tendentem in media, quia nondum de illius conuenientia plenè consuluerat, postea cum iam illam ad satietatem agnouit, cum per electionem fertur in media conuenientia ad finem obtinendum, simul fertur in finem, tanquam in obiectum, ut quod amatum ex vi illius actus, ita ut per illum quasi repetatur intentio, & voluntas amet, non solum media, sed finem, eo modo, quo utraque amaret si simul primò fuissent finis, & media, discussa illorum conuenientia proposita. Hanc conclusionem ex præcedenti sic infero. Si simul fuissent proposita media, & finis cum omni notitia requisita ad faciendam electionem, voluntas eodem actu amplecteretur finem & media: ergo cum posteaquam semel finem amauit, cum media cum omni ipsorum conuenientia, & finis proponuntur eadem ratione, eodem actu feretur voluntas in hæc obiecta, ac si nūquam alio actu finem attigisset, quid enim refert prius amasse finem sine medijs expressè amatis, ut modò per alium actum simul amet finem, & media, cum eodem modo sit amatura voluntas finem propter media, & non possit hæc amare, quin eodem amore attingat finem saltem ut obiectum quo.

21 Dices, electionem medijs simul cogniti cum omni sua conuenientia esse amorem finis, electionem verò medijs, ad cuius cognitionem supponitur amor finis non esse hu-

ius amorem, quia ante ipsam iam supponitur finis amatus, ac proinde superflue per alium actum amaretur, imò amari non posse, quia non potest esse simul in voluntate duplex amor eiusdem obiecti. Facile solutionem reicio. Secus, amor, quo amentur media propter finem, necessarius est amor tendens in finem, saltem ut in obiectum quo media amantur, si tamen semel admittitur nouus amor tangens finem ut quo, cur non diceretur illum tangere ut obiectum quod, cum sit valde difficile concipere finem amatum ut quo, & non ut quod ex vi eiusdem actus. Ad vltimum, quod obieciatur, non posse esse simul in eadem voluntate duplicem amorem eiusdem obiecti. Respondeo, dato antecedenti, non ex illo inferri, electionem non fieri in finem tanquam in obiectum amatum ut quod, sed voluntatem destitutam à primo amore, quo finem, & non media per ipsum expressè, & formaliter amabat. Dixi, dato antecedenti, quod facile negari potest, quia etiam duplex amor eiusdem obiecti, eiusdem omnino rationis non potest esse in eadem voluntate, si tamen amor sit diuersæ rationis, etiam si ob idem formale motiuum, componi poterit in eodem subiecto, sicuti componuntur duplex species impressa, & expressa, directa & reflexa eiusdem obiecti, quia sunt actus inter se dissimiles, etiam si idem obiectum formale pertingant; sic intentio finis identificata cum electione mediiorum, & intentio finis non attingens media propter ipsum, rectè componitur in eodem actu propter diuersitatem actuum, & illorum dissimilitudinem.

Secundò probò, electionem non distingui ab intentione respiciente medium in particulari. Intentio respiciens medium in particulari, est actus, quo dicit voluntas, volo ut sit hic finis per hoc medium, sanitatem, scilicet, per scissionem venæ in quo actu formaliter includitur amor scissionis venæ. Electio est actus, quo dicit voluntas, volo ut sit hoc medium, ut ex vi illius sit finis; in quo actu necessarîo includitur amor finis, si enim voluntas dicit, volo scissionem, ut sit sanitas, expressissimè dicit, volo ut sit sanitas, utque enim actus idem obiectum includit, quia idem formalissimè est, velle assequi finem per tale medium, & velle vtile medium ad assequendum finem, quod est idem, ac velle, ut per tale medium finis assequatur, ut bene docet supra Perez, velle autem finem per tale medium, intentio dicitur, & velle medium ad talem finem, seu velle ut per tale medium finis assequatur, dicitur electio ex diuerso modo significandi, seu concipiendi eundem actum, qui intrinsecè, & realiter est intentio, & electio: hæc modo cõceptus intentio dicitur, illo verò significatus electio appellatur, sicut eadem via accliuus est, & decliuus, dicitur tamen accliuus hoc modo inspecta, & decliuus illo considerata. In hunc sensum interpretor Angelicum Doctorem q. 12. art. 4. ad 2. ubi intentionem, & electionem distinguit, sicuti motum sursum, & deorsum: nomine autem motus non intelligit actionem ipsam, qua corpus mouetur ad spatium, per quod mouetur, ut expressè constat ex ipsius verbis, ait motum sursum, & deorsum esse vnum, & tantum differre secundum principium, & finem, quod verum non est de ipsa actione, qua corpus mouetur, est enim diuersa actio, & adæquatè motus diuersus, quo ego tendo Matritum Toletum, ab actione, qua tendo Toletum Matritum. Constat etiam, hunc esse Angelici Doctoris sensum ex textu Aristotelis quem refert pro sua doctrina, Physic. textu 21. ubi expressè Philosophus agit de identitate viæ, non verò de identitate, nec de distinctione motuum, & illud satis vulgare exemplum adducit de via à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas.

Ex his infero, finem non posse esse motiuum ut quo media amantur, quin finis ipse sit amatus, ut obiectum quod, licet enim plura obiecta possint attingi ut quo, actu prosequutionis, sine eo, quod attingantur ut quod, ut patet in exemplo adducto de amore poenæ, cuius motiuum, quo poena amatur, est peccatum, & peccatum ipsum non est obiectum ut quod talis amoris, hoc in fine contingere nequit, diuerso enim modo amantur media propter finem, ac amatur poena propter delictum, quia ut quis intendat poenam propter delictum, neque actu, quo poenam amat, neque alio, tenetur amare delictum: ad hoc verò ut quis amet media propter finem in omnium opinione, tenetur saltem ex vi illius actus amare finem tanquam obiectum, non solum ut quo, sed ut quod. Ex qua disparitate robur accipit nostra conclusio: quando amor creaturam propter Deum,

Deum, non solum amo creaturam, & Deum ut obiectum quo, sed ipsum Deum ut obiectum quod: quia non possum amare creaturam, quin amen ipsum Deum: ergo quando amo medium propter finem, illo actu non solum amo finem ut obiectum quo, sed etiam ut obiectum quod, quia non possum amare media propter finem, qui nam finem, Ex hac doctrina regulam istam tibi praefiges, quando ut ali- quod obiectum ametur, vel odio habeatur propter aliud, quod sit motuum quo, necessum est ut tale aliud mouens ut quo, sit obiectum quod amoris, vel odij ex vi alicuius actus, respectu illius actus, cuius est motuum quo, erit etiam ob- iectum quod: quando verò ut sit motuum quo, amoris, ne- cessum non est, esse obiectum ut quo, adhuc amoris distin- ctio poterit esse obiectum ut quo amoris, quin ametur per talem actum. Hac ratione potest peccatum esse motuum, quo ametur poena, quin ipsum peccatum ametur ut quod: quia ad amandum poenam propter peccatum, ne- cessum non est, amari peccatum aliquo actus, finis verò non potest esse motuum, quo media ametur, quin talis finis ametur, ut quod, quia non potest subsistere amor mediorum, si- ne amore finis. Neque creatura potest amari propter Deum, quin eodem actu Deus ametur ut obiectum quod, quia non potest amari creatura propter Deum, quin Deus ipse ametur. Dixi, peccatum posse esse obiectum quo amoris poenae, quin ipsum peccatum ametur, non verò quin ipsum pec- catum sit obiectum quod talis actus, quia forsitan ex vi eius- dem actus, quo amatur poena propter peccatum, pec- catum ipsum odio habetur tanquam obiectum quod, ita ut sit obiectum quo actus, quatenus est prosequutio poenae, & obiectum quod eiusdem actus, quatenus est displicentia pec- cati sicut actus, quo detestor peccatum propter Deum, respicit Deum tanquam obiectum quo detestationis pec- cati, & tanquam obiectum quod amoris erga Deum, imbi- bitum in eodem actu: quia sicut ad hoc ut deest ego peccatum propter Deum, requiritur amor erga Deum, ad hoc ut Deus velit poenam propter peccatum, requiritur displicentia erga peccatum ipsum: ergo sicut inferimus ex eo quod sit necessarium, Deum esse obiectum ut quod amo- ris, ut sit obiectum ut quo detestationis peccati, habere has duas rationes obiecti ut quod amoris, & obiecti ut quo detestationis peccati respectu eiusdem actus, sic ex eo quod sit necessarium, peccatum esse obiectum quod displi- centiae circa se ipsum, ut sit obiectum ut quo amoris erga poenam, inferre debemus rationem hanc obiecti ut quod displicentiae circa se ipsum, & obiecti ut quo amoris erga poenam, habere respectu eiusdem actus.

PUNCTUM III.

De connexione inter intentionem, & electionem.

I Disputant Theologi de connexione inter actum in- tentionis, & electionis, quam difficultatem iuxta di- versas sententias, de horum actuum naturis expediā. Si pri- mus voluntatis actus, quo fertur in finem, sit etiam expre- ssus, & for nalis amor efficax mediorum, nulla potest in hac re difficultas exagitari: cum enim omnino sit amor medio- rum, & finis, idemque omnino intentionis, & electionis actus, unus ab alio oriri nequaquam potest. Proprium lo- cum inuenit questio in opinione, quae distinguit amorem mediorum ab amore finis, quo finis ipse attingitur ut ob- iectum quod. Neque quaestione fugimus asserentes, om- nem amorem mediorum respicere finem tanquam obiectum amatum ut quod, cum asseramus, aliquando hunc amorem tendentem in media propter finem, & in finem ipsum ut obiectum quo, & quod, esse posteriorem saepe saepius alio amore, quo tantum expresse amatur efficax finis, & non expresse media, quia nondum ad illorum convenientiam est mediata voluntas. Neque de illis ad satietatem usque con- siliū inuit intellectus, iuxta quem dicendi modum dubiū suboritur, quomodo amor iste mediorum, & finis, qui con- siliū supponit, nascatur ab illo priori, qui con- siliū praecessit. Aperiā quid iuxta communem senten- tiam, quid iuxta hunc dicendi modum, sentiendum sit.

2 Una est fere omnium Doctorum sententia, voluntatem ex intentione efficaci teneri ad actum illum electionis, qui necessarius fuerit ad media obtinenda, quapropter si mul- ta occurrunt, quibus idem medium potest obtineri, tenetur sub disunctione vnum vel alterum eligere, quod si medium fuerit vnicum illud tenetur eligere voluntas: ita

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. II.

D. Th. 1. p. q. 19. art. 3. q. 82. art. 2. & 1. 2. q. 10. art. 2. ad 3. & q. 13. art. 6. ad 1. & 2. Valen. ibid. disp. 2. q. 8. punct. 3. Azor. tom. 1. lib. 1. c. 17. Salas 1. 2. tr. 8. disp. 1. sect. 5. n. 38. Valq. 1. 2. disp. 43. c. 4. Soar. 1. 2. disp. 8. sect. 4. n. 4. & interpretes D. Thomae in lo- co citato, quos propriis locis apud supra relatos inuenies. Neque oppositam sententiam apud auctorem bonae notae reperio: pro illa nescio quos doctores suppressio nomine refert Medina. Dixi, sentire hos auctores, voluntatem te- neri supposita intentione finis, ad eligendum vnicum me- dium, abstrahendo ab illa quaestione, an volitio vnicui me- dij sit proprie electio, & consequenter ab electione, pro- pria, & impropria, quod consequenter satis ad sua princi- pia notauit Vasq. n. 11. vbi dixit conclusionem traditam in- telligendam esse de electione propria, vel impropria, hoc est, de volitione medij vnicui propter finem. Hec dixerim de electione orta ex intentione, quae respicit executionem finis in instanti, in quo ipsa elicitur, quae statim vrget ad ele- ctionem faciendam, quia electio ex intentione, tempore praecedente finis executionem, quae potuit hac, vel illa tem- poris mensura fieri, specialem exigit disputationem, ut illius necessitas, libertas nobis innoscat, quae infra exhibebo.

3 Conclusionem sic explicatam probat Vasquez, quia sup- posita intentione efficaci, nulla potest apparere ratio mali in medio vnicui, ac proinde voluntatem teneri ad illud amplectendum, quia haec necessario amat quidquid sub nulla mali mixtura illi proponitur ut bonum: non posse in medio vnicui apparere rationem mali, probat, quia etiam si in se tale medium malum sit, & difficile, hanc malitiam non habet in ordine ad finem, neque illam habet quatenus vtile ad finem, ac proinde sub ratione vtilis, & relati ad fi- nem omnino bonum apparet. Tanti Magistri pace, illius rationi non acquiesco, quia etiam si medium, ut medium formaliter, & ut vtile, ad finemque relatum, malum non sit, si tamen in se malitiam habet absolutam intrinsecam entitati, sufficiens haec posset esse ad retrahendam volun- tatem à prosecutione talis finis, qui enim supposita intē- tione, secum init consiliū de mediis eligendis, non tan- tum considerat malitiam, quanti habet medium in ordine ad finem: sed etiam quam in se habet, & ex duobus mediis quibus aequali infallibilitate finis obtineretur, hoc alteri praefert, quia in se non habet malitiam absolutam, quam habet aliud: ergo ad electionem faciendam, plurimum cō- ducit bonitas absoluta, vel saltem defectus absolutae mali- tia, & haec ex sua natura retrahit voluntatem ab electio- ne medij, quae in se malum est etiam si nullam respectuam malitiam habeat.

4 Contra eandem rationem secundò sic infurgo: me- dium vnicum in ordine ad talem finem singularem co- gnitum ut vtile, & vnicum in ordine ad suum finem cum eadem bonitate, & malitia apparet supposita in- tentione efficaci, & illa seclusa: ergo si intentione efficaci seclusa, non ita bonum apparet, ut necessitatem inferat vol- untati amandi illud, neque hac intentione posita, talem necessitatem inducet. Consequentiam legitimam esse pu- to, & antecedens facile probandum esse censeo: Intentio efficax, neque est quid se tenens ex parte obiecti respectu cognitionis, quae repraesentatur medium ut vtile, neque ali- quid ponit in ipso medio, ratione cuius melius conducere possit ad finem, vel in se minorem habeat difficultatem, & malitiam absolutam: ergo eodem modo cognoscitur me- dium ex parte obiecti posita intentione efficaci, & illa ablata: sed ablata non apparet adeò bonum, ut necessitate inducat voluntati illud amplectendum: ergo neque illa posi- ta, praecise per obiectiuam bonitatem talem necessitatem inducet. Vltimò, si medium illud quod non apparet cum ra- tione mali formaliter ut medium, & ut relatum ad finem vtileque ad illud obtinendum, necessitate inferret volun- tati, nullum medium ad bonum finem ordinatum illam non induceret, quia tunc medium, quatenus medium, & forma- liter quatenus vtile ad bonum finem, est bonum formaliter & non malum, quia praecisa ratione vtilitatis ad bonum fi- nem est bonitas, in qua non reperitur malitia sub eadem ratione vtilitatis: sed sub alia quae materialiter se habeat respectu talis, & respectu ad finem.

5 Melius ex illo conclusionem probari, ex eo quod vol- untas efficaciter amans finem, tenetur illum amare eo mo- do, quo possibilis est: ergo si medij est vnicui ad finem ob- tinendum, cum finis possibilis non sit, nisi per tale medium, tenetur voluntas velle finem per tale medium: velle autem finem per hoc medium ad finem obtinendum.

O Cum